



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Casus LXXXIX. De Missa, ejúsque legendæ obligatione, & applicatione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

## CASUS LXXXIX.

### *De Missa, ejusque legende obligatione, & applicatione.*

**L**ocupletus vir nobilis satis pinguem fundavit Capellaniam, ea conditione, ut quotidie in loco à se designato Missa legeretur. Capellania hæc post mortem Fundatoris obtigit Antimo Clerico vitæ non optimæ, qui non obstante conditione à Locupletio adjecta, semel in hebdomade intermittit offerre Sacrum ad intentionem Fundatoris, illudque modò pro se, aut defunctis consanguineis suis legit, modò celebrat ad intentionem Calisti Stipendium dantis, ut in altari B. V. M. Missa de *Requiem* dicatur pro animabus in purgatorio, quam tamen subinde legit de festo currente.

*QUÆR. I. An Sacerdos, obligatus quotidie celebrare, possit semel in hebdomade Sacrum omittere, & legere pro se, aut Stipendium dantibus?*

*QUÆR. II. An plus profit Missa boni, quàm mali Sacerdotis, & plus Missa de Requiem, quàm alia, qualèque peccatum sit accipere Stipendium pro Missa de Requiem, & legere de festo currente?*

*QUÆR. III. An magis expediat, ut quis, se adhuc vivente, sacrificia pro se fieri potius curet, quàm post mortem?*

*QUÆR. IV. An, & quomodo peccet Sacerdos, qui pro Stipendio nova onera Missarum celebrandarum suscipit, oneribus jam susceptis non persolutis?*

Ad



523

**A**D I. Q. Affirmativè responderet P. Vidal; in *Arca Theol. mor. de Justit. Inquisit. 1.* putans, sacerdotem obligatum quotidie celebrare, posse tuta conscientia semel in hebdomade intermittere celebrationem unius Missæ, illamque non ad intentionem Fundatoris, sed ad suum beneplacitum licitè applicare, etiam secundum intentionem Stipendium dantis. Rationem dat, quia obligatio quotidie celebrandi secundum determinatæ personæ intentionem intelligenda est moraliter, rationally, ac regulariter, & non adeò Strictè, aliàs evaderet onus intolerabile, quod Fundator imponere voluisse censendus non est.

Confirmatur ex eo, quòd juxta probabilem complurium DD. sententiam cum & apud Dianam *tr. 14. de celebr. Miss. R. 28.* & Naldum in *Summ. verb. Missa*, possit Capellanus, obligatus ad quotidie celebrandum ex aliqua urgente necessitate ter, quater, aut pluries per annum celebrare pro se ipso, vel alio sibi valdè conjuncto, puta, patre, vel matre, &c. quia Capellaniæ Institutor, si de tali casu interrogatus fuisset, utique annuisset, & non denegasset: ergo idem dici potest in priori casu de una Missa, in hebdomade, quia si etiam de hoc interrogatus fuisset, annuisset, ne

aliàs onus intolerabile imposuisse videretur. Nihilominus

Contrarium omninò tenendum 524 est cum Suarez *D. 80. S. 2.* Sylvest. Azor. Bonac. & communi DD. cum & apud Dianam *l. c. R. 37.* quia ejusmodi Missæ dicendæ sunt juxta conditionem, seu pactum, & obligationem adjectam, & impositam à Fundatore, & à Capellano liberè susceptam, nisi aliud prudenter præsumi possit de mente ejusdem Fundatoris: atqui prudenter præsumi non potest, quòd Fundator tot Missas liberas relinquere voluerit Capellano, & quidem legendas pro Stipendio ab aliis elargiendo, quòd ipse liberaliter suppeditavit. Certè si à citt. AA. aliisque ægrè excusatur Sacerdos, qui ex tacita Institutoris concessione ter, vel quater in anno ex causa rationabili pro casu specialis sibi, vel propriis parentibus Sacrificium applicat, quid dicendum putas de eo, qui tot in anno Missas omittit, quot sunt, in anno hebdomades? Unde non est credendum, hanc fuisse mentem pii Fundatoris, sub ea conditione, & pacto Capellaniam instituentis. Aliud est de eo, qui quotidie ad celebrandum obligatus ter, quaterve in anno pro se, vel aliis valdè sibi conjunctis ad specialem aliquam gratiam obtinendam, aut pro anima defuncti patris, vel matris celebrat;

cre.



credibile enim est, pium Fundatorem, si de tali casu præcogitasset, vel interrogatus fuisset, minimè id negaturum fuisse, nec omnem viam obligationi naturali erga se ipsum, propriosque parentes præcludere voluisse: Hæc autem omnia locum non habent in altero casu, in quo Capellanus ille non ex justa causa, sed potius ex avaritiæ motivo procedit: Nec onus intolerabile id censendum est, quod obligatio justitiæ est ex pacto cum Capellano quotidie celebrandi, quodque liberè susceptum, & conjunctum est cum magno ejusdem emolumento; Consideranda tamen hæc est Ecclesiarum consuetudo, siqua in aliqua Ecclesia vigeat, ut unus vacationis, ut vocant, dies concedatur; cum enim obligatio quotidie celebrandi Missas intelligatur salvâ decencia, & honestate, ut notant communiter DD. id est, salvâ conscientia ipsius Sacerdotis, & salvâ reverentiâ Sacramento debitâ; honestas autem, & decencia postulet, ut aliquando Missa intermittatur; inde fit, ut possit, vel potuerit introduci consuetudo Sacrum aliquoties prætermittendi ita postulante honestate; quæ tamen honestas & decencia id non postulant, ut quando ex honestate potest Sacrum intermittere illud applicet alteri, sedposito, quod possit & velit celebrare, debet Missam applicare

*R. P. Leonardelli Soc. Jesu.*

juxta mentem Fundatoris, & institutum Capellanæ.

Ad 2. Q. R. duo<sup>m</sup> in Missa consideranda esse, ut advertit Angelicus Doctor 3. p. q. 82. a. 6. videlicet ipsum sacrificium, & orationes, seu preces, quæ in ipsa Missa funduntur. Si sacrificium consideretur, quod est principale, tunc non plus prodest Missa boni, quàm mali Sacerdotis; quia valor, qui in sacrificio ex opere operato provenit, non major est in uno, quàm in altero sacerdote, cum non dependeat ex dispositione & bonitate Ministri juxta unanimum DD. consensum & C. intra 1. q. 1. si verò orationes considerentur, & preces, tunc possunt hæc dupliciter considerari, uno modo quatenus procedunt à Sacerdote, ut à persona quadam privata, & particulari; altero modo quatenus procedunt, & funduntur à Sacerdote, ut Ecclesiæ Legato, seu ut representante Ecclesiam, in cuius nomine celebrat, & offert, si priori modo considerantur, plus utique prodest ac valet Missa boni Sacerdotis, quàm mali, cum bonus potius ac magis à Deo exauditatur, quàm malus, bonique preces vim, & valorem suum retineant, illique, & aliis profint, non item preces mali offerentis in statu peccati mortalis, utpote cujus oblatio infructuosa est, etiam secundum vim

Cccc

impe-



impetrandi, C. in gravibus, 3. q. 7. & merendi saltem de condigno, etiam quando pro se orat. Si verò posteriori modo considerentur, quatenus scilicet Sacerdos est offerens nomine Ecclesiæ, cujus ad Deum Legatum agit, eamque repræsentat, utriusque preces æqualem habent valorem, tantamque efficaciam habet oratio mali, quantam boni, quia is, cui mittitur aliquid, non respicit, per quem mittatur, sed quis, & quid mittat; & quia etiam in peccatoribus manet ministerium, ut ait S. Thom. Omnibus ergò consideratis dicendum est, plus valere Missam boni Sacerdotis, quàm mali; non solum, quia boni Missa & illi, & aliis prodest, sed etiam quia ejus preces, & orationes valent non tantummodo ut Ecclesiæ nomine procedunt, sed etiam ut sunt ab homine Dei amico, & grato, qui facilius, sapius, & amplius à Deo impetrat, quàm malus: Unde & S. Th. l. c. meritò asserit, magis fructuosam esse Missam dictam à meliore Sacerdote cum majore devotione, quàm Missam dictam ab alio.

Ex his patet etiam responsio ad alterum 1. Q. Membrum; nam si valor Sacrificii ex opere operato spectetur, æqualiter prodest Missa de *Requiem*, quàm alia; si autem simul orationes, & preces considerentur, plus uti-

que prodest defunctis Missa de *Requiem*, quàm alia, quia in Missa de *Requiem* orationes, & preces ad ipsarum animarum liberationem directè funduntur tam ex intentione Ecclesiæ, quàm ex intentione propria Sacerdotis sacrificantis. Unde Sylvest. in *Summ. verb. Missa q. 8. d. 5.* cum aliis censet graviter Sacerdotem delinquere, qui Stipendium accipit pro dicenda Missa de *Requiem*, & legit Missam de Festo currente. Verùm contrarium alii tenent apud, & cum Diana p. 2. tr. 14. R. 31. & p. 3. tr. 6. R. 62. videturque probabilius, non excedere id culpam venialem, cum proximus non notabiliter damnificetur, eò quòd omnes Missæ sint ejusdem, æqualisque valoris, & quamvis cæteris paribus Missa de *Requiem* magis prodest defunctis, ut paulò ante dictum est, supplere tamen potest major Sacerdotis devotio, Indulgentia, vel Sancti illius intercessio, cujus suffragium imploratur.

Ad 3. Q. R. magis expediens ac consultius esse, ut quis adhuc in vita curet pro se Missas celebrari, sibi que applicari, quàm post mortem. Ratio est, tum quia talis majorem habet certitudinem de Missarum celebratione, & actuali applicatione; cum persæpè hæredes magis solliciti sint de hæreditate adeunda, possidenda, aut dividenda, quàm de



de voluntate Defuncti fideliter, & debito tempore adimplenda. Tum quia major inde fructus percipitur, eò quòd Missæ vivis applicatæ non solum satisfactoriæ sint, uti Missæ pro defunctis, sed etiam propitiatoriæ pro peccatis conferendo gratias prævenientes, meritoria, & impetratoriæ variorum beneficiorum, & gratiarum, ut adeò magis profint non solum in vita, sed etiam post mortem. Tum quia magis augeatur meritum, si ultrò spontè, ac liberè terrenis te privas, dum eis adhuc frui licet, quàm si coactus, morte imminente, eis valedicas. Ex quibus satis elucet, tutius, magisque, expediens esse, si Fideles pro se Missas celebrari curent ante potius, quàm post mortem, id, quòd rectè observavit S. Gregorius Papa lib. 4. *Dialog. c. 58.* ubi, tutior, inquit, est via, ut bonum, quod quisque post mortem suam sperat agi per alios, agat ipse, dum vivit per se: beatiùs quippe est liberum exire, quàm post vincula libertatem quaerere.

Porrò licèt quod modò dictum est tutius, magisque fructuosum sit, attamen valde utique laudabile est, & proficuum, quòd quisque etiam Missas de *Requiem* post mortem legendas sibi applicari curet in suffragium animæ suæ, & satisfactionem residui debiti, si quod in Purgatorio adhuc expungendum restaret.

Ad 4. Q. Satis convenit inter DD. talem Sacerdotem graviter peccare, si hujusmodi Missarum celebrationem ad longum tempus differat, secùs non delinquere, si *infra modicum* tempus eas legat, possitque sic omnibus satisfacere.

Quid autem per *to infra modicum tempus* intelligatur, non determinatur à Sac. Congregatione Concil. quæ in Decretis Urbani VIII. respondens ad undecimum ita loquitur: Quid autem intelligat Sac. Congregatio per *ly infra modicum tempus*, explicant Doctores; qui tamen in eo explicando in varias abeunt opiniones, aliis minùs, plùs aliis admittentibus. Thesaur, in *praxi p. 2. verb. Missarum onera cap. 1.* censet, per modicum tempus intelligi spatium octo duntaxat, vel decem dierum. Pasqualig. de *Sacrific. Miss. q. 965.* putat modicum tempus complecti duos menses, quando Missæ legendæ committuntur sine temporis determinatione; si verò tempus sit determinatum, non posse ultra illud differri. Diana *p. 2. rr. 14. R. 25.* & *p. 9. rr. 6. R. 55.* cum Ledesm. Lug. & aliis ait, modicum tempus extendere se ad quinquaginta, aut sexaginta dies. Alii cum Lezana *tom. 2. verb. Missa n. 39.* nihil determinant, sed relinquunt id arbitrio prudentis Viri, (quod meliùs videtur) pensatis circum-



stantis loci, temporis, numero Missarum dicendarum, intentione petentium, & Sacerdotum, quibus celebrandi obligatio incumbit: Unde longius utique temporis spatium conceditur, si Missæ dicendæ committantur absque celebrationis celeritate, sed veluti pro celebrantis commoditate; è contra si Missæ præscribantur dicendæ pro aliquo recenter defuncto, quàmprimùm, & sine dilatione celebrari debent, ut rectè notant Pasqualig. l. c. Sylvest. verb. *Missæ*, q. 10. Petr. Navar. l. 2. c. 2. Laym. l. 5. tr. 5. c. 1. qui ultimus ait, Sacerdotem illum meritò timere posse, ne graviter delinquat, qui accepto Stipendio pro Missa legenda pro aliqua necessitate, vel defuncto, sine justæ excusationis causa eam differt, eò, quòd interea magno spiritali fructu & commo priventur ii, quorum debitor existit: Unde quando AA. citt. à peccato excusant Sacerdotem, qui infra modicum tempus Missarum dicendarum obligationi satisfacit, casum excipiunt, quo Missa dicenda est pro aliqua necessitate, quæ moram non patitur, v.g. pro præsentis infirmitate, aut expeditione alicujus negotii magni momenti &c. Demùm alii cum Bonac. de *Sacram. d. 4. q. ult. pun. 7.* & Tambur l. 3. c. 1. §. 9. de *Sacris Miss.* eos Sacerdotes graviter peccare affirmant,

qui magnum Missarum legendarum numerum accepto anticipato Stipendio, promittunt, earumque celebrationem sine legitima causa diu & notabiliter differunt, aut se periculo exponunt, promissas Missas vel omninò non persolvendi, vel non nisi tempore inopportuno:

Sed quid si Missam non ex 523 Stipendio, sed ex liberalitate legendam alteri promittas, & non legas? erisne dicendus graviter peccare? Affirmant Bonac. de contr. d. 3. q. 12. p. 1. & Petr. Navarr. l. 2. de reffit. c. 2. diff. 7. putantes unicum duntaxat Sacrum ex liberalitate promissum non celebrare peccatum esse mortale.

Verùm probabiliùs id negant Tambur. l. c. §. 6. Rebell. Sanch. Mald. Fagund. aliique apud Marchin. de Ord. tr. 3. p. 2. c. 18. Rationem dant, quia in hujusmodi promissionibus non est attendendum ad damnum spirituale, aliàs omittens promissam salutationem Angelicam peccaret graviter, cum ejus omissio majus damnum spirituale afferat, quàm quodcumque damnum temporale; sed spectanda est quantitas stipendii, quæ communiter dari solet, ut, qui Missam promittit, peripse habeat, ac si promitteret Stipendium pro Missa elargiri solentum.



tum; Cum ergo in promissionibus ad peccatum mortale constituendum major quantitas requiratur, quam in furto, imò juxta Sanch. *de matr. l. 2. d. 5.* quadruplo major, eò quòd in furto tollatur alienum, in promissione detur voluntariè suum, ideò non erit mortale in casu posito, nisi tot Missæ liberaliter promissæ negentur, quot quadrupliciter superant in Stipendio materiam fur-

ti gravis. Accedit, quòd secundum satis probabilem multorum sententiam non servare promissionem simplicem in materia notabili non inducat peccatum mortale, nec obligationem restitutionis; quia non delinquitur contra Justitiam, sed solum contra fidelitatem, quæ non obligat cum tanto rigore, uti Justitia, nec obligationem restituendi per se inducit.

## C A S U S X C.

### *De defectibus Sacerdotis Missam celebrantis, & alienum Sacrificium supplentis.*

Oblivius Sacerdos ante accessum ad Missam sæpè non lavat manus; sæpè omittit preces inter induendum; non nunquam omittit Credo, cum dicendum esset, vel dicit, cum esset omittendum; aliqua subinde variat, vel omittit etiam in Canone; nonnunquam aliqua addit ex devotione, & quæ submissa voce dicenda essent, recitat altiore voce, aut vicissim. Semel dum ex sacrificia Sacrum facturus egreditur, inaudit, Ambrosium Sacerdotem in altari majori sacrificantem post sumptam S. Hostiam apoplexiâ tactum fuisse, non sumpto S. Sanguine: Unde ad altare majus illicò accedit inceptum Sacrificium perfecturus, sumptoque S. Sanguine ea supplet, quæ in Missa post sumptionem sunt supplenda, & novum Sacrum subjungit.